

sancti Ephremi discipulum, qui floruit sæculo tertio ad quartum vergente, libros elucubrassè de Angelis, in quibus testimonio Areopagitæ frequenter utitur. Affirmat vero Echellenis rem esse sibi plane compertam, cum libros istorum Syriacè scriptos sapius perlegerit. Sane nulla est habenda ratio, quod nominatim Areopagitæ legatur mentio in quadam Homilia in 1. cap. Joann. Origeni adscripta, nec non in libro quæstionum ad Antiochum, quorum primus Atianorum meminit, qui diu post Origenem exorti sunt. Secundus vero Scriptores citat Athanasio longe posteriores, atque hæc obiter de Areopagitæ scriptis. Photinus in Bibliotheca meminit libri cujusdam Theodori Presbyteri propugnantis Dionysii libros germanos ac legitimos esse; & ad quatuor in oppositum objecta respondentis; ejus tamen responsa, quæ fuerint, Photius non indicat.

5. Morte impij Constantis, Divina Providentia filium ejus Constantinum ad solium Imperiale promovit, optimum & religiosissimum Principem, ad eluendam parentum quasi hæreditariam labem natum. Hic secum ad Imperium fratres accivit Tiberium & Heraclium: idemque fidei & pacis Ecclesiæ impense studiosus litteras ad Dominum Romanum Pontificem direxit, invitantes ad convocandum tertium Constantinopolitani universale Concilium, cui vel ipse, vel missi ab ipso Legati præsentent, sed exempto rebus humanis dono, in manus, qui eisdem successit, Agathonis devenerunt, qui tam justæ petitioni libentissime concessit: & consensum coacta Romæ centum viginti Episcoporum Synodo, quæstionem fidei ea ratione, qua fuerat a prædecessoribus Romanis Pontificibus finita, diremit ac resolvit. Inde selecti Legati Apostolici ab Agathone, qui mox celebrando universali Concilio præfiderent Theodorus & Gregorius Presbyteri, Joannes item Diaconus, & Constantius Hypodiaco-nus. Nomine autem Romanæ Synodi missi pariter fuerunt Joannes Portuensis, Abundantius Paternensis; & Joannes Rhegiensis Episcopi, & cum his Theodorus Presbyter loco Theodori Ravennatis Episcopi, qui post diuturnum Ravennatis Ecclesiæ schisma se lubens Agathonis submiserat, pacemque cum Romana Ecclesia ini-verat: ut ex Lateranensi sub Agathone Concilio, & ex Anastasio in Agathonis vita liquet.

6. Itaque sexta generalis Synodus anno 680. indictio-ne 9. mense Novembri, regia in urbe intra Palatii Imperialis Secretarium, cui Trullo nomen erat, cæpta est, annoque insequente terminata. Præfens interfuit Constantinus Imperator cum primariis aulæ Comitibus. Præfederunt Theodorus, & Georgius Presbyter, & Joannes Diaconus Agathonis Romæ Pontificis Legati Apostolici. His affedit Georgius, quem Constantinus Imperator, amoto Theodoro Monothelita, Ecclesiæ Constantinopolitana præferat: Deinde Petrus Presbyter vicem gerens Alexandrini Antistitis: Macarius Theopolis seu Antiochiæ Episcopus; Georgius Presbyter Vicarius Episcopi Jerusalem. Post quatuor Patriarchas, in sin-gulis actionibus, recensentur Episcopi Joannes Portuensis, Abundantius Paternensis, & Joannes Rhegiensis Vi-carii sancti Concilii Romæ habitæ centum viginti Episcoporum. Cum vero Macarius Antiochenus Episcopus in suspicionem adductus esset hæresis Monothelitarum; hujus Synodi actione 8. causa ejus discussa est, proprio-que ore scriptique convictus, frustra que Patribus disputa-to, admonendo, exhortando, rogando conniventibus virum contumacem ab errore revocare, omni de-num dignitate, Sacerdotio & fidelium societate de-jectus est actio. 9. ejusque in locum subrogatus est Theo-phanes, qui deinceps post Alexandrum sedit, & subscrip-sit.

7. In hujusce Synodi actio. 15. Polychronius Sacerdos & Monachus suam in tantopere illustri teatro de-mentiam prodidit. Cum enim esset hæreticus Monothe-lita, eique cacodæmon suis prestigis illuderet, vehe-menter expetivit in sacrum confesum introduci, habe-re se afferens rem summi momenti Patribus proponen-dam; postquam vero intromissus fuit, sibi divinitus man-datam asseverat, ut Imperatori & universæ Synodo ve-ram fidem enunciaret, spemque salutis aeternæ in hoc versari, ut quotquot adsunt sincere desinant, & profite-antur unicuique existere Christi JESU voluntatem & actionem. Ut autem sibi fides adhibeatur, certo spon-det mortuum hominem a se ad vitam revocatum iri, universo spectante populo, statim atque cadaveris capi-ti admovent scriptam fidei suæ professionem. Visum est Episcoporum cætu oblatam conditionem experiri, ne illa rejecta, Polychronius ceterique hæretici jactarent, ac insultarent Patres suæ causæ diffusos, occasionem us-que adeo expertu facilem sponte oblatam maligno ani-mo recusasse. Adducitur in medium forum humanum ca-daver, cui Polychronius scriptum suum ad caput & ad pectus iterum iterumque admovent, mortuique auri-bus insuffragat, nec tamen movetur demortuum cor-

pus. Omnis circumstantis popululæ uti justum fuerat si-lens quiescit, & ridiculum fabulæ exitum præstolatur: ille vero mortuorum suscitator jam tremebundus non secus ac præfens cadaver expalliscit, tandemque fæte-ri cogitur non posse a se mortuum suscitari. Effusus omnis populi risus & conclamatio suboritur. Miserum tamen & confusione dejectum Polychronium Patres omni-opera conantur ab hæresi revocare, sed inflexum & obstinatam Sacerdotio movent, & anathemate per-cellunt.

8. In hac demum sancta Synodo quinque approba-tis, quæ præcesserant, œcumenicis Synodis; decretum est, duas esse in Christo Domino voluntates, totidem-que actiones, divinam & humanam: istamque divinæ per omnia subditam & consentientem: & qui secus docuerant, pro hæreticis damnati Sergius, Cyrus, Pyr-rhus, Paulus, alique, quibus adjungunt Patres in actis Concilii sapius repetitum Honorium Romanum Episco-pum. Quidam tamen nullo veteri scripto subnixi affir-mant, & contendunt in hujus Synodi plusquam duode-cim locis pro Theodoro fraudulenter oblitterato, a Græcis Latinorum amulsi fuisse suppositum Honorii no-men: sed fatendum est illam de falso inscriptionem nullo exemplari antiquo, nullo veteri de hac præten-sa falsitate niti testimonio. Præterea si potuisset illa toties repetita falsitas obrepere, potuisset in exemplar quod Constantinopoli ad futuram memoriam referebatur: at non in alia quatuor quæ pro quatuor aliis Pa-triarcalibus Ecclesiis, scilicet Alexandria, Antioche-na, Jerosolymitana, præsertim vero pro Romana desti-nabantur. Præsertim vero præsentibus plerisque Latini-s: ex quorum numero quatuor Legati Apostolici Syn-odo præfederant; & quorum ductu & auspiciis omnia ibi gerebantur, & quorum officii erat intendere, ne qua fraus in re tanti momenti subnasceretur. Nihil sane expressius esse potest his, quæ in hac ipsa Syno-do actio. 18. referuntur: *Sancta Synodus dixit: peti-timus a Domini potestate instructa a Deo ad majorem orthodoxæ fidei stabilitatem & confirmationem, ut scripta exempla definitionis relicta præsentis vestra serenissima po-terestate edantur quinque Patriarchalibus sedibus una cum vestra pia sublimatione. Exemplarium utique facta lectio & subscriptio, ad religiosissimi præsentiam Imperatoris, qui omnibus Synodi actis interfuerat: ejus-que Regiæ manus attestatio, cautio erat omni exceptione major. His adde quatuor Apostolicorum Lega-torum Synodi Præsidium præsentiam & sollicitudinem necessariam: adjunge his tres Episcopos Romani Con-cilii Legatos, insuper & Ravennatis Episcopi Vicarium, Latinos omnes; qui fieri potuit ut illi præreliquis ele-cti tanta omnes animi vel stupiditate, vel alienatione fuerint, ut præfentes fraudem toties repetitam non ad-verterint: hæc quoque profequitur eadem actio 18. *Pis-tinus Imperator exempla definitionis cum sublimatione mansuetæ ejus serenitatis præbuit quinque patriarchali-bus sedibus. Porro Leo Papa II. Sanctorem alio meriti-sime ascriptus, qui Agathonis Papæ immediate succes-sit, & primus Synodum istam Apostolica auctoritate roboravit, non modo istam quæ pretenditur falsitatem emendare aut corrigere, vel delere neglexit, sed etiam in istis suis ad Constantinum Augustum litteris, qui-bus hanc Synodum approbat & confirmat, hæc refer-re non est veritus, quæ nullis argutiis declinari pos-sunt: *Anathematizamus novi erroris inventores Theodorum Pharanitanum Episcopum, Sergium, Pyr-rhbum, Petrum, Paulum Constantinopolitana Ecclesiæ insidiato-res magis quam Præsules; nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolica traditionis doctrina illustravit, sed prophana traditione immacula-tam maculari permisit. Idemque Leo epist. 2. ad Episco-pos per Hispaniam constitutos, sic ait: *Aeterna damna-tione multati sunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Ale-xandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Constian-tinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogma-tis non (ut decuit Apostolicam auctoritatem) incipientem extinxit, sed negligendo confovit: Idem iterum epi-stol. 5. ad Ervigium Hispaniarum Regem: *Et una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolica traditionis regulam, quam a prædecessoribus accepit, maculari permisit. Certe non modo Synodus hæc sex-ta, sed etiam septima, & octava, præsentibus nec dissentientibus Apostolicis Legatis, in suis de fide or-thodoxa decretis, Honorium ceteris Monothelitarum signiferis ac ducibus accensent. Quin & actione 7. octavæ adversus Photium Synodi legitur ista Hadria-ni Papæ II. notatu digna declaratio: *Romanum Pon-tificem de omnium Ecclesiarum præsulis judicasse legimus; de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio post mortem ab Orientalibus anathe-ma sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super hæresis accusatus: propter quam solam licitum est mi-nori-******

horibus majorum suorum moribus resistere, vel pravos sensus libere respicere. Nicæphorus Constantinopolis Pa-triarcha & gloriosus Christi Confessor & Martyr, in ea quam plenam fidei & in Apostolicam sedem obser-vantia ad Leonem tertium Pontificem Romanum scrip-sit epistola, inter hæreticos Monothelitas Theodorum Pharanitanum Episcopum, deinde Honorium, tertio Cy-rum commemorat. Fuerint, an non fuerit Honorius hæreticus, nihil præjudicatur ad Petri Cathedram, cu-jus in rebus fidei nunquam fallit aut fallitur definitio; non enim ad hanc pertinet privata cujusquam Ro-mani Episcopi ad privatam alioquus epistolam respon-sio. Deinde istæ illius ad Sergium litteræ, quantum-vis aliquam, quæ tum agitabatur, quæstionem fidei ac veritatem distimulent, ac silentio indebito pre-mant, nihil tamen nisi orthodoxum expriment, qua distimulatione ac silentio nihil contra internam fidem delinquitur, sed contra externam, & ex officio tunc temporis professionem fidei; contra quam etiam Libe-rium Pontificem in Sirmienfi Concilio, & Marcellin-ium Papam coram ethnico Magistratu, immo & ipsum Ecclesiæ fundamentum Petrum in triplici negatione peccasse, apud omnes in confesso est. Cui tamen Christus Dominus paulo ante asseverat, *regavi pro-te ut non desierit fides tua*: neque desit intus esse or-throwus, dum negavit exterius. Nec si iidem Apосто-lorum Coripheus & Princeps, attestante ad Colossen-sium Paulo, fuit reprehensibilis, dum Antiochiæ ad fra-trum ex Judaismo converforum adventum, paulo ul-tra quam decrevit, addiditorem se legalibus observan-tiis exhibuit, ideo aliquis ei calumniam intentaverit prodita religionis aut defectionis, atque transgugii ad Judaicam superstitionem: cum certum sit nunquam a Christiana professione defecisse. Sic neque Honorium plane Monothelitam ac hæreticum fuisse affirmare au-dim, tametsi Petro Apostolo multo reprehensione di-gniori; quatenus agens cum nequissimo hæresiarcha per pusillanimitatem ea utitur verborum textura, quæ hæresiarche ablandiebatur; quando ex officio incumbere erumpentem hæresim, ejusque injustas adversus Mo-nothelismi fortissimum debellatorem Sophronium queri-monias retundere.

9. Felicissimo successu dirempta sexta Synodo, Im-perator & Synodi Patres ad Agathonem mittunt, ro-gantes ut quæ sancta erant, Apostolica auctoritate ro-boret. His edictum accedit Constantini mandans uni-versis, ut Concilii decretis morem gerant, propo-sitis in refractarios pœnis. Ceterum priusquam Synodi-cæ litteræ Romam delatæ essent, supremum Agatho-diem obiverat. Ejus vero successor Leo secundus san-ctitate illustis, Synodum Apostolicis edictis quæ su-perfuit, comprobavit. Has tamen litteras œcumenicæ Orientalium Synodi approbatas, ideoque amplissimæ Sedis Romanæ majestatis & gloriæ quam maxime con-ducentes, aliaque Sanctissimi ejusdem Pontificis au-ro & topazii Romane Tiaræ longe pretiosiores, præ-textu notarum alioquæ numeralium, quæ operatum ce-leritate, incuriaque exscriptorum, atque Typographo-rum, multis præsertim intercurrentibus sæculis sunt inevitabiles, Annalium Scriptor, & post eum nonnul-li gestantes omnia quæcunque Honorium perstringunt, abolere monumenta, suppositionis & falsi conantur ar-guere. Arguant, per me licet, si possunt tria gene-ralia Concilia, præsentibus & præsentibus pluribus Apostolica sedis Legatis celebrata, sextum, septimum, & octavum: arguant si lubet Pontificis non tantum dignitate, sed vita etiam moribulque sanctissimos Leo-nem II. & Hadrianum II. quorum iste Romano Con-cilio præfens, Honorium non ut ego pusillanimitatis & simulationis; sed hæresis Monothelitarum apere-te damnavit. Criminentur insuper Anastasium Ecceles-ia Romanæ Bibliothecarium, Synodorum suis tempo-ribus habitatum septimæ & octavæ ex Græco in Lati-num translatores, qui Honorii damnationem, quam in Græcis legebat, ex sua Latina versione non expun-xit. Quinetiam in Leonis secundi vita idem asserit, Honorium una cum Cyrilo, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro atque Macario fuisse in sexta Synodo damnatum. Ipse insuper sanctus Papa Leo sextam Synodum in La-tinum vertit, nec in sua versione Honorii damnatio-nem suppressit. Præfatus quoque Anastasius in octava quam transtulit Synodo confedit, itaque optime rescit-vit, quid in eadem Synodo de Honorio fuisset consti-tutum, & hujus octavæ translationem suam Hadriano secundo Pontifici dedicavit. Deinde suam septimæ trans-lationem, qua similiter damnata est Honorii memoria, Joanni octavo Romæ Pontifici consequentibus annis iacubratam inscripsit. Damnant denique amplissimos & meritisissimos tum maximorum Pontificum, tum Ro-manorum Conciliorum Legatos, qui usque adeo perditas in Honorium a sacris Synodis irrogatas calumnias, Cabasilii, Notitiæ Ecclesiasticæ.

& falsa convicia, tam segni & flagitioso silio ap-probarunt. Et si hæc omnia nec damnare audent, nec supprimere possunt; advertant demum se in abolen-da re, quæ tam multiplicibus, tamque venerabilibus niti-tur testimoniis, immoderato affectu studioque frustra laborare. Cum vero testimonia domesticorum, vel quæ quis de seipso profert, quantumvis honestæ vitæ sit, nullam in jure fidem faciant, susceperique habeantur omnes sive domesticæ, sive in propria causa testifica-tiones, id quod ex Maximi disputatione desumitur; Joannis testimonium, qui tunc Secretarii fungebatur officio sub Honorio Pontifice, parum convincit, utpo-te utraque suspicione laborans, & domesticus, quia de rebus proprii Domini, simulque insignis benefactoris agitur: & in propria causa, quia Joannes ipse grave incurtebat vituperium, eo ipso quod invivam illam epi-stolam propria manu descripsit. Et ita Honorianæ prævaricationis delictum in ipsum Joannem ut con-scium & cooperatorem refundebatur. Quis porro au-dit asserere hoc uno in propria causa, necnon Domini & benefactoris proprii officioso mendicio, ad gran-de utriusque probum amolendum addidit, insimulari debere flagitiosæ imposturæ, ut stultice credulitatis, tot amplissima Concilia, Pontifices, Romanos Lega-tos, & venerandos Antistites: Parum vero juvat quod Agatho Pontifex in sua ad Constantinum Epistola scri-bit, sedem Apostolicam nunquam defecisse, aut desice-re, suorumque prædecessorum neminem in fide abtrah-sse. In primis enim de sede Apostolica nunquam erras-se, neque futurum ut erret contra fidem orthodoxam, Catholici omnes ultro fatentur; sed & omnibus in confesso est, ad Apostolicam sedem non pertinere quid-uid Summus Pontifex privatim, vel scriptis vel ore profert. Quo in genere collocanda est illa Honorii privata ad privatam Sergii epistolam responso. Insuper accurate hoc ipsum, quod supra dixi, perpendendum est, ne in illa quidem privata Honorii epistola quid-quam contineri quod hæresim aperte sapiat, vel do-ceat: Etiam hoc simul verum sit, verborum ambiguitate per animi metum, suam (ut ego existimo) rectam & Catholicam fidem Honorium non ausum tunc mani-festare. Non ignorat Agatho Papa, quid ante Honorium, duobus aliis Romanis Pontificibus Marcellino & Liberio contigisset: quorum prior per pusilli animi vitium idolis formidine mortis litaverat. Posterior vero, simili metu cum aviditate recuperanda priusam dignitatis conjuncto, in Conciliabulo Arianorum Sir-mienfi, & Athanasium præcipuam orthodoxæ fidei colum-nam & columnam damnaverat, & suppressioni con-substantialitatis, quæ militantis Ecclesiæ adversus Aria-nos certissima erat tessera, sua manu subscrisperat. Qui-bus expensis circumstantiis facile intelligitur utrumque verum esse, & quod Honorio per pusillanimitatem culpabilem contigit, & quod Agathonis epistola perhibet, neminem prædecessorum suorum a Catholica fide devias-sse; quamvis Marcellinum & Liberium ab illa propositio-ne minime excipias, quorum animi propositum nun-quam a fide alienum fuit, etiam contra debitam ejus professionem, non per definitionem, ex Apostolica sede, sed per privatam simulationem deliquerat.

10. Inter Apostolicos Legatos maxima illorum ratio habebatur, qui ad Concilia Orientalia, præsertim vero œcumenica, Romana ex urbe mittebantur; præcipui enim momenti res erat unitatis Ecclesiarum conserva-tio quæ minime consistere potest nisi duobus vinculis inter sese mutuo connectantur, unitate fidei, & unitate capitis: unitas fidei dirimitur per hæresim, unitas vero capitis per schismata, & rebelliones erigentes se adversus constitutum a Deo caput Ecclesiæ. Quia vero diabolus semper advigilat ad utramque vel alterutram ex duabus unionem dissolvendam, præsertim ubi coeunt diversarum Provinciarum a se invicem remotissimarum Concilia, sapientissimo consilio jam inde a prioribus Ecclesiæ sæculis provisum est, ut post indictas in Orien-te inundas Synodos, quo pauci ex Occidente consue-re possunt, Romanus Pontifex, convocato apud se oc-cidentalium Episcoporum Concilio, Synodis in Orien-te congregandis præludat, quæstiones fidei diligenter exploret, omniaque sollicitè præparet ad utramque commemoratam unitatem & pacem concordantia. Ex his vero sive Romanis, sive Lateranensibus Conciliis, certæ & eximie delegantur ad Orientalem Synodum personæ, alie quidem ex Latere Romani Pontificis: his vero solis incumbat præesse Synodo ante quoscunque Patriarchas alioque Antistites, atque ante om-nes decretis subscribere, si non opponantur litte-ris, quas a Summo Pontifice referebant, communito-riis. Ceteris vero Romani Concilii Legatis munus incumbat, ut conventa inter Romanum Pontificem ejusque Concilium executioni fideliter mandaren-tur. Atque isti quidem cum prioribus in idem officium